

NUMMI TRIUMPHALES


ALTER MAXIMILIANI IMPE-

RATORIS: MAXIMILIANI SFORTIÆ ALTER:

Cusi post Gallos ex Italia pulsos: restitutum Sfor-

tiæ Mediolanum. Anno Chri-

sti 1512.



PATRONUM & Clientem eâdem hic paginâ exhibemus. Ille Maximilianus Imper. est, qui Ludovici copiis ac præsidis ex Italia ejectis, in eo totus erat, ut ad legitimum dominum Insubriæ Principatus rediret. Hic Maximilianus Sfortia, Dux Octavus Mediolanensium: dignus ob singularem in Imperatorem observantiam habitus, qui in recuperandâ sede patriâ juvaretur: cum præsertim faventem restitutioni Pontificem haberet. Urgebat namque rem eam Julius ipse, & Helvetij: quod externi regis potentiam ille per Italiam invalescere nollet: & renuiorem hi vicinum Gallo præferrent. Committitur negotium reductionis Episcopo Gurcensi: qui Româ discedens Maximiliano Sfortiæ, qui jam ex Germania Veronam venisse dicebatur, obviam proficiscitur. Is verò ex Sedunensis Cardinalis instinctu non expectato illius adventu Cremonem abierat: ibi cum affectus Gurcensis, Mediolanum usque deduxit, ubi magnâ

cum